

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;
ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7 1/2.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro *unoquoque centimetro quadrato*.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN ITALIA	IN ANGLIA	IN CIVITATIBUS FOEDERATIS AMERICAE SEPTENT.	IN CANADA ET NEWFOUNDLAND
Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. ROMAE, Via Santa Chiara, 20-21.	Apud BURNS AND OATES LONDON W. — 28, Orchard Street.	Apud COMMISSARIAT OF THE HOLY LAND. NEW YORK, 143 w 95th St.	NEW YORK (U. S. Americ.), 143 w 95th St.
IN BELGICA	IN GALLIA	INSULIS (LILLE)	IN HUNGARIA
Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. BRUXELLES, Rue de la Montagne, 52.	LUGDUNI Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC. Rue Victor Hugo, 5	LUTETIAE PARISIORUM LIBRAIRIE VIC ET AMAT CHARLES AMAT SUCC. Rue Cassette, 11.	Apud C. B. LIPTAY, CORRESP. DE HONGRIE BUDAPEST, Palais du Théâtre National.

RERUM INDEX

DE POPULARIBUS LEGISLATORUM COMITIS	P. Rossani.
DE LINGVAE LATINAE NATURA AC PROPRIETATE	P. Rasi.
DE STELA IN ROMANO FORO EFFOSSA NOVAE ANIMADVERSIONES	Romanus.
IN HODIERNUM "PROGRESSUM,"	Fr. Xav. Reuss.
DE QUADAM TRANSVAALIANA POETRIA	T. Paci.
EX AMERICIS - <i>Philoctetes</i> Sophoclea tragoedia in scenis acta	I. B.
TUSCANIENSIS S. PETRI AEDES	A. Costaggini.
DE QUORUNDAM MOROSO MUSICORUM INGENIO	Hersilus.
VITA FUNCTI VIRI CLARIORES	P. A.
DE LABYRINTHIS	A. Vieillot.
LOLLIUS SIVE DE PROVECTA LATINITATE	P. Angelini.
COMMUNIA VITAE - De indumentis virorum	P. Alexis.
QUAESITIS RESPONSO - De latini eloquii pronuntiatione	H. Doswald.
ANNALES	Poplicola.
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS	Scriba.
AENIGMATA	Tirunculus.
<i>In tertia operculi pagina:</i>	
PER ORBEM	Viator.
VARIA: Singulare expergisculum - Melodion - Ioci	P. d. V.
EPISTOLARUM COMMERCIIUM	A secretis.

ROMAE

EX OFFICINA FORZANI ET SOCI

M DCCC

LIBRI ET COMMENTARII RECENS DONO ACCEPTI

- Ferdinando Ferrari.** Ricordo ai giovanetti studiosi, ossia tre lezioncine a proposito del comporre. - Guastallae ed. R. Perolini, 1900.
- Praelectiones Scholastico-Dogmaticae** quas habebat **CAMILLUS** Cardinalis **MAZZELLA** tractatibus qui deerant locupletatae atque in compendium redactae, volumen II complectens tractatus de Deo uno ac trino et de Deo creante. - Romae ed. Desclée, Lefebvre et S., 1900.
- L'amico della gioventù.** Singulis hebdomadis prodit Veronae.
- Atene e Roma.** Commentarius cura Italiae Societatis ad litterarum studia vulganda editus Florentiae-Romae.
Index rerum an. III, n. 16 (Aprile 1900): Ifigenia (I. M. Fuochi) - La Diarchia romana (L. Cantarelli) - Dei pensieri filologici e filosofici di Giacomo Leopardi (F. Ramorino) - Notizie varie, etc.
- L'Ateneo.** De litteris et bonis artibus commentarius. Singulis hebdomadis prodit Florentiae.
Index rerum an. XXXIV, n. 10 (Maggio 1900): Maggio nell'Appennino toscano (B. Nelli) - Roma nella visione dantesca (F. Zanollo) - La storia e l'arte nel Cristianesimo (A. G. Bantioglio) - Conversazioni in famiglia - In biblioteca, etc.
- Bollettino del museo civico di Padova.**
- Conventus alter de Archaeologia Christiana Romae habendus.** Commentarius authenticus. (N. 5).
- Cosmos Catholicus.** Commentarius mensstruus. Romae.
Index rerum an. II, n. 7 (Prima quindicina di Aprile 1900): Nostra Signora di Francia (J. Beysac) - Padre Didon (E. de Surret de Saint-Julien) - Saturnalia (B. Artoli) - Certigne (P. Mac Swiney de Mashanaglass) - Diario Vaticano.
- La Croce.** Singulis hebdomadis prodit Neapoli.
- Divus Thomas.** Commentarius inserviens Academicis et Lyceis scholasticam doctrinam sectantibus. Placentiae.
- Enporium.** Recensio menstrua litterarum et artium. Bergomi.
Index rerum fasciculi mense Aprili 1900 editi: Artisti contemporanei: Luigi Rossi (G. P. Lucini) - Fra i ghiacci dell'Antartico: Notizie delle ultime esplorazioni antartiche (A. G.) - Arte retrospettiva: Del duomo di Milano e della sua facciata (Giulio Carotti) - Taccuino dell'amatore di stampe (Vittorio Pica) - Esposizione generale di Parigi - Miscellanea: Esposizioni e concorsi, necrologio, in biblioteca.
- Ephemerides Liturgicae.** Singulis mensibus Romae prodeunt cura Congr. Vincentianae.
- Giornale Arcadico di scienze, lettere ed arti.** Romae.
Index rerum an. III, n. 29 (Maggio 1900): Lo Stabat Mater e i Pianti della Vergine nella lirica del medio evo (F. Ermini) - Di una epigrafe di Galliciano (G. Corza Luzzi) - Origine del tribunato della plebe e Coriolano (G. Bivocchini) - Carlo Contarini (F. Tolti) - Il trecentista scrittore fra Giovanni da Bergamo dell'Ordine Romitano di sant'Agostino (N. Mattioli) - Il Giubileo del 1300 e Dante Alighieri (A. Cimmino) - Bibliografia - Cronaca di Arcadia - Notizie varie.
- La Madonna dei bambini.** Catinae.
- Il Marzocco.** De litteris et artibus commentarius. Florentiae.
Index rerum an. V, n. 18: Versi (D. Garoglio) - Giovanni Pascoli, poeta latino (N. Festa) - Una traduzione dei « Cenci » (T. Giordana) - « Figurinaio » di Giuseppe Mantica (A. Cippico) - Giardini pubblici (M. Cecconi) - Dentro alla cerchia antica (Il Marzocco) - Marginalia - Notizie - Bibliografie.
- Minerva.** Recensionum recensio, moderatore Friderico Garlanda. Romae.
Singulis dominicis diebus prodit, scripta maximi momenti, quae sive in praecipuis commentariis, sive in libris vulgantur, accuratissime referens.
Index rerum an. X, n. 23: L'accattonaggio nelle grandi città (Deutsche Rundschau) - La nuova prosperità americana (Mc Chure's Magazine) - La moderna poesia lirica tedesca (Contemporary Review) - La filosofia di Tolstoi (Journal des Débats hebdomadaire) - Il nervosismo e il suicidio nei romanzieri e nei poeti del secolo XIX (Revue Bleue) - Il giornalismo nel Giappone (The Forum) - La scuola e il servizio d'assistenza (Deutsche Review) - L'ultima commedia di Giacosa (Revue des Deux Mondes) - Sommari: Riviste francesi - Da una settimana all'altra (Rip) - Spigolature - Fra libri vecchi e nuovi, etc.
- Nuntius Romanus.** Romae.
- L'Oriente Serafico.** Commentarius editus cura fr. Minorum S. Mariae Angelorum ad Assisium.
- L'Osservatore Cattolico.** Diarium Mediolanense.
- La Ricreazione.** Commentarius; bis in mense prodit Tergeste.
- Rivista d'Italia.** Semel in mense prodit. Romae.
- Rivista Internazionale di scienze sociali e discipline ausiliarie.** Semel in mense prodit Romae.
Index rerum fasciculi LXXXVIII (mense Aprili 1900): La vita sociale del XII-XVI secolo nella legislazione penale degli statuti italiani di quel tempo (A. Lizier) - La riforma monetaria nel Giappone (E. Lorini) - Un nuovo libro e una polemica antica (G. Tucimei) - Sunto delle riviste - Esame di opere - Note bibliografiche - Cronaca sociale - Cenni commemorativi: Antonio Malvezzi Campeggi (F. Ermini) - Società cattolica italiana per gli studi scientifici.
Praeter scripta haec maximi momenti videre in hoc commentario placet librorum commentariorumque recensionem maxime copiosam.
- Rivista politica e letteraria.** Semel in mense prodit Romae.
Index rerum vol. XI fasc. 11 (15 Maggio 1900): L'Esposizione di Berlino e la parte dell'Italia (XXX) - Tragedie dell'egoismo (E. Spagnolo) - Intorno al parlamentarismo (F. Luzzatto) - Su alcune recenti innovazioni al regolamento del Senato (A. Ferracini) - Nord e Sud (A. Monzilli) - Articoli necrologici, finanziari, bibliografici.
- Il Santuario di Caravaggio.** Caravaggi ad Bergomum.
- La scuola secondaria italiana.** Singulis hebdomadis prodit Mediolani.
- Valle di Pompei.** Commentarius editus ad solamen puerorum, qui, cum parentes habeant in vincula coniectos, hospitio ad Pompeios accepti sunt.
- La vera Roma.** Singulis hebdomadis prodit Romae.
- La Vita internazionale.** Bis in mense prodit Mediolani.
Index rerum n. 8: Per l'Esposizione di Parigi (La Vita internazionale) - La situazione politica (E. Giratti) - L'epica lotta slavo-tedesca in Austria (A. Golbacher) - Esiste la sociologia? (A. Groppali) - Individualismo e collettivismo (C. Tivaroni) - Grenoble e la sua Università (C. Ricci) - La Puglia (F. De Nora) - Gli orologi della notte (R. Kipling) - Università popolare (R. Pierangeli Facciò) - Le conferenze per la pace (Iustus) - Trifoglietto (E. Fabietti) - Scuola e criminalità (L. Ferriani) - Note politico-sociali, scientifiche, letterarie.
- Vita Nova.** Ephemeris, cura Societatis juvenum athenaeorum studii vacantium. Neapoli.
- Vittoria Colonna.** Commentarius ad Italas mulieres. Bis in mense prodit Neapoli.
Index rerum an. X, n. 9 (16 Maggio 1900): L'ideale morale, popolare e politico nell'opera dello Smiles (Albertina Mazzanti) - La morte della primavera: Versi da Lenau (Doris) - « Speranze e glorie » di Edmondo De Amicis (Il Vittoria Colonna) - Le nuove esecuzioni al salone Perosi (Amalia Gulinelli) - Fra le riviste (Io) - Notizie, etc.
- Studien und Mittheilungen.** Reigen.
- Obnova.** V. Hradci Králové.
- Vlast.** V. Praze.
- L'Association Catholique.** Revue mensuelle des questions sociales et ouvrières. Lutetiae Parisiorum.
Index rerum num. idibus Maiis editi: Le mouvement syndical et les catholiques sociaux (Henry Bazire) - La crise actuelle du socialisme (G. de Pascal) - Les catholiques et l'éducation du peuple: Les universités populaires (Marc Sangnier) - Chronique - Documents et faits sociaux - Chronique bibliographique.
Suppléments de la Revue: « Le Pain » - Questions sociales féminines - Conférences préparées: 1. Enseignement social et religieux - 2. Conférences avec projections.
- La petite Revue Internationale.** Singulis hebdom. prodit Lutetiae Parisiorum.
- Bulletin Bibliographique internat.** Bruxelles.
- Revue Bibliographique Belge.** Bruxelles.
- Revue Neo-Scholastique.** Lovanii.
- Boletín-Revista de la juventud católica de Valencia.**
- La Crux.** Madriti.
- El Eco Franciscano.** Santiago.
- Revista Católica de las cuestiones sociales.** Madriti.
- Revista crítica de historia y literatura españolas, portuguesas, é hispano-americanas.** Madriti.
- Revista Eclesiástica.** Valdoleti.
- La Semana Católica.** Madriti.
- Amerikanski Slovenec.** Tower.
- L'Artisan.** Revue mutualiste. Montreal (Canada).
- La Semaine religieuse.** Québec.
- El Católico.** Santiago de Cuba.
- Der Herald des Glimbens.** St. Luis Mo.
- Diario de Centro America.** Guatemala.
- Johns Hopkins.** University Circulars. Baltimore.
- Katholischer Mestén.** Dubuque.
- The Messenger of the Sacred Heart.** Neoboraci (U. S. A.).
- Niagara Index.** Niagara University. N. Y.
- Revue Ecclésiastique.** Valleyfield in Canada.
- The Review.** Singulis ebdomadis editur Saint-Louis M. (U. S. A.).
- The Rosary Magazine.** Patrum a S. Dominico praeconium menstruum. Somerset (Ohio U. S. A.).
- The Church Progress.** St. Luis Mo.
- The Tidings.** Los Angeles, Cal.
- Le Messenger de Tahiti.**
- Our Alma Mater.** St. Ignatius College. River-view, Sydney.
- I-wen-lou et Revue scientifique.** Zi-hai = Shang-hai.

Nec anceps
dimus illi
oratorum coetib
ubique, tutum
enim et quotidia
edoctus, inania
esse, quae prosp
rare: siquidem p
et tam perspicu
gantur passim in
rectam rei exist

Quapropter
moderandae disc
tas defendere qui
legislatorum dic
inde maximo l
cultus ille, qui
aulis addictus, m
ribus recensetur
templis sapientia
manae societatis
saeculum exspec
spei fructus, ut
prudens moderat
impediretur atqu

Et profecto,
eius constitution
semper corruptio
publicis vel priva
studio succensis,
illis ac scelestis s
sese potiri re stu
optimos persequ
augeant contendu

Quae vero h
Cum primum
tate florerent, un
temperans regis
In Anglia vero,
quasi matrem re
tate consilia quae
de bello ferendo,
licis rebus una c
illa Charta, quae
a Wilhelmo illo
fuit die Iunii me
Simon a Monfort
ret, comitia Oxon
vi coegit, ut iure
ut iudices, cance
comitiis eligeren
carentur, ut deni
regni administris
His nobilium et op
ut obsisteret, ann
nonnullos advoc
rerent, tuncque

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETIUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italiam:
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 1/2.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

DE POPULARIBUS LEGISLATORUM COMITIIS

NEC anceps ferme nec arduum hodierna die credimus illius onus futurum, qui de popularium oratorum coetibus, ad ferendas leges congregatis ubique, tutum ferre iudicium aggrediatur. Infelici enim et quotidiano usu satis iam est quivis populus edoctus, inania suorum oratorum comitia non ea esse, quae prospera reipublicae fata valeant comparare: siquidem perniciosi regiminis effectus tam saepe et tam perspicue apparuerunt, ut qui nunc congregantur passim in dies per exultas orbis nationes ad rectam rei existimationem paene inutiles reddantur.

Quapropter quae est hodie humanae societatis moderandae disciplina, optimas cuiusque populi metas defendere quodammodo ac tueri cogitur, ne in legislatorum dictionem incidant, neve detrimento inde maximo labefactentur. Nec immerito ferme cultus ille, qui est hactenus legislatoriis huiusmodi aulis addictus, maxima nostri aevi superstitione a pluribus recensetur; ex iis enim veluti ex Delphicis templis sapientia omnis et salus, et quasi nova humanae societatis redemptio sunt insana fide per saeculum expectatae: sed unus fuit constans tantae spei fructus, ut si quis adfuerit interdum sapiens et prudens moderator reipublicae, opera eius misere impediretur atque irrita redderetur et inanis.

Et profecto, praeter ipsam populi indolem, ab eius constitutione plerumque abhorrentem, binae semper corruptionis causae virent, quarum altera in publicis vel privatis cupiditatibus, honoris vel lucri studio succensis, requirenda est, altera in perniciosis illis ac scelestis sectis, quae per omne nefas publica sese potiri re student, et populi felicitate posthabita, optimos persequuntur, utque suas divitias tantum augeant contendunt.

Quae vero horum ordinum origo? Quae fata?

Cum primum in Gallia comitia haec in antiquitate florent, unum idemque fuit ipsis munus, intemperans regis arbitrium iustis limitibus coercere. In Anglia vero, quam publicae recentioris libertatis quasi matrem repetunt, adfuerant in prima antiquitate consilia quaedam quae de tuendis patriae finibus, de bello ferendo, de vectigalibus imponendis, de aediliciis rebus una cum rege censebant, donec Magna illa Charta, quae fons nostrorum coetuum habetur, a Wilhelmo illo Notho, ex Normannorum genere, fuit die Iunii mensis xv a. 1215 edita. Posthaec Simon a Monfort, ut Henricum III a regno depelleret, comitia Oxonii indixit, regemque ad iusiurandum vi coegit, ut iure quovis suo se abdicaret, statuitque ut iudices, cancellarius, ipsique regis administri in comitiis eligerentur, ut comitia ter in anno convocarentur, ut denique legati ex iis semper una cum regni administris pro gubernanda republica sederent. His nobilibus et optimatum immixtionibus Eduardus III ut obsisteret, anno 1315, ex quovis comitatu equites nonnullos advocavit, qui mandantium personam gererent, tuncque primum una cum legatis civitatum

equites in comitiis recepti sunt. Hae fuerunt quidem origines utriusque anglici coetus, et nobilium, et municipum, quorum suffragia sunt temporis progressu distincte expetita. Humiliorum vero aula praecipue inter luterani schismatis perturbationes maximam vim adeptam est, quam ante nunquam habuerat, opera praecipue et virtute Thomae illius Moore, qui Ecclesiae martyr deinde obiit: quod et imperantibus etiam regibus e Scothorum genere Stuart pariter contigit.

Verum cum in Carolum I regem, qui Henrici IV filiam uxorem duxerat, catholicae fidei fervidam vindicem, perduellionis bellum excitatum fuisset, utrumque comitium regem semper uti hostem habuit, publica omnia iura praeripuit, aulam, quam Stella tam dicebant, abrogavit, regem morti tradidit.

Constituta deinde Cromwell praeside republica, varia fuit tunc unius tunc alterius coetus auctoritas, quod pariter aequa vicissitudine post instauratum regnum ad nostros usque dies permansit, nec gravis ulla ordinum immutatio post illud tempus facta est.

In Gallia Philippus ille rex cui nomen «Pulcher», tum universalis populi comitia, tum legatorum provinciarum coetus primus inivit. Verum quae pro administranda aequius iustitia fuerant constituta, ea brevi in civitatibus moderandis, nec ferme iustitiae studio, sese immiscuerunt. Et profecto tristia coetuum illorum exempla Francisco II rege prodierunt passim, sive cum contigit Annam Dubourg sicario ferro esse necatam, sive cum clades illa celebris quae ex sancti Bartholomaei nocte nomen sumpsit Lutetiae vias cruentavit.

In Generales vero populi Coetus qui vocabantur, ex trino civium ordine, ex clero, ex optimatibus, ex plebe legati conveniebant atque regis arbitrio congregabantur. Quare in moderanda republica nulla eorum auctoritas fuisset, nisi huc et illuc nonnullas veluti protestationes contra regia crimina et iniuste facta edidissent.

Quibus brevi ex historia depromptis ceterisque omnibus praetermissis, nonne una eademque redit illatio, ordinem hunc regendae reipublicae iri submotum, quippe maxima iam minimeque decora vetustate laboret, ut sua veluti senectute quoque exstinguatur?

P. ROSSANI.

DE LINGVAE LATINAE NATURA AC PROPRIETATE⁽¹⁾

Multi etiam in populi sermone reperiuntur, quae, iampridem usu cotidiano trita, tamquam novae stirpis semina vel indicia haberi possunt, utpote quae in recentioribus linguis e Latino enatis parce detorta florent vigeantque. Cuius generis sunt, ut pauca exempli gratia sumam ex Weisio, *comparare*

(1) Cfr. num. sup. Quo in numero, pag. 74, col. 2, adn. 1, v. 8, pro *coniunctivo modo* legendum est *indicativo modo*.

(It. *comperare, comprare*) vel paulo serius *adcaplare* (Francog. *acheter*) pro eo quod est *emere*; *apprehendere* vel *imparare* pro eo quod est *discere*, cet. Huc etiam pertinet *facere*, cui verbo in sermone populi varia subiecta vis est cuiusque significatio late patet, ut sint ei migrationes in alienum domicilium multae, veluti in hoc vulgari dicendi modo: *sero facit* = Francog. *il se fait tard*, vel in hoc exemplo apud Augustinum (*Serm.* 25, 3): *nunquam fecit tale frigus* = *il n'a jamais fait aussi froid*. (Quo loco Weisium id monitum volo, utramque significationem loquendique rationem in Itala quoque lingua esse). Praeterea *fui, fueram, fuero* in temporibus compositis formae passivae pro *sum, eram, ero* crebrius in dies vulgo usurpantur... Denique, ut de constructione ipsa verborum, quam *σύνταξις* Graeci vocant, taceam, ubi populus in loquendo genus quod dicitur *paratacticum* et orationem *directam* perspicuitatis causa et ad res paene sub aspectum subiciendas (1) generi *hypotactico* et orationi *obliquae* multo saepius praefert, nonnullas verborum formas memorat Weisius, quae in Romanorum sermone plebeio, cuius erant fere propria, pro aliis usu conterebantur, et tamquam «rinnovellate di novella fronda» atque urbanae, ut ita dicam, factae in Neolatinis quoque linguis comparent: ut *intensiva* et *frequentativa* pro verbis simplicibus posita (veluti *agitare* pro eo quod est *agere*), ut praepositiones compositae ad eundem atque simplicium vel unisyllabarum usum translatae (veluti *abante* = Francog. *avant*; It., quod ipse addo, = *avanti*; *desub* = Francog. *dessous*) (2), ut, idque multo plura, deminutiva lepide usurpata: quod animus prodere commotum, alacrem eundemque earum rerum, quibus animi motus efferuntur «interprete lingua», vehementer participem, recte docet Weisius; qui tamen id neglexit animadvertere, etiam plurima Latini sermonis maxime vulgaris deminutiva in Italicam linguam, ut hanc verbi causa nominem, vi deminuendi omnino amissa, immigrasse, ut sunt *figliolo* (*filiolus*), *uccello* vel *angello* (*avicella*), *usignuolo* (ex *lusciniola*, prima littera [l] male intellecta et perperam pro articulo habita), *orecchia* (*auricula*), cet.

Postremo Weisius cum huic capiti quarto finem faciat, pauca subicit de ingenio populi Romani ad

(1) Huc spectat etiam translationum usus, quibus, ut ait Cicero (*Orat.* 24, 81; *De orat.* III, 38, 155; cfr. Quint. VIII, 6, 6), frequentissime sermo omnis utitur non modo urbanorum, sed etiam rusticorum, si quidem est eorum *gemmae vites, silire agros, laetas esse segetes, luxuriosam frumenta vel luxuriam esse in herbis*.

(2) Hinc etiam intellegi potest, omnium brevissima, i. e. unius syllabae vocabula Latina magis quam cetera ad periculum vitae, ut sic loquar, exposita fuisse, eamque ob rem aut omnino interisse in linguis recentioribus a Latina ortis (ut sunt *res, mus, ver*, cet.), aut syllabis tamquam auxiliaribus sibi adiunctis (*suffixis*) ut longiora ita validiora facta in eas migrasse (ut sunt *spes* = Francog. *espérance*; Ital., id quod ipse addo, *speranza*, poet. *speme* vel *spene*; *lex* = It. *legge*; *nox* = It. *notte*; *vas* = It. *vasello* [sic Weisius: at cur non potius *vaso* vel *vase*?], cet.).

scurriles locos facile propensi et « captantis risus hominum famamque dicacis »: quam notam gentis fere propriam eiusque naturae insitam maxime in ludis rusticis et popularibus, in Fescenninis, in Saturis, in Mimis, in Atellanis fuisse, compertum exploratumque est, hodieque hoc sermonis lepore atque antiqua et vernacula festivitate summopere delectamur in Plautinis fabulis. Quid, quod ne imperatoribus quidem triumphantibus aut viris populi primariis atque adeo Caesaribus ipsis parcebant Romani, eosque militari et plebeia petulantia prosequentes *Italo aceto* perfundebant? De qua re multa tradiderunt, praeter alios, Suetonius et historiae Augustae scriptores; cuius ex ubere atque copiosa generis materia duo, nec plura, affert Weisius: unum hoc est, quod Tiberius Claudius Nero in castris tiro etiam tum propter nimiam vini aviditatem Biberius Cadius Mero vocabatur; quod ad alterum, narrans, imperatorem Macrinum, utpote qui esset in servos facile « plagosus », Macellinum vulgo cognominatum esse. Neque, ex recentioribus aliis fontibus hausta, minus sunt faceta popularique tamquam colore aspersa haec duo, ex quibus cognoscimus, disciplinam (quasi a *displendo*) saepe dici solere pro eo quod esset disciplina, et popinam in propinam vulgo immutari. Quod si homo quidam nefarius Cyprianum nomine Copriani improbius «κόπριον» significans appellavit, num iure mireris, id stomachum movisse Lactantio, sic indignatione exardescenti? — « Audivi ego quendam hominem sacrilegum, qui eum (Cyprianum) immutata una littera Coprianum vocaret, quasi elegans ingenium et melioribus rebus aptum ad aniles fabulas contulisset ».

Sed iam, magno « aequore confecto », tempus est « vela trahere » et « terris advertere proram ». Liber, quem modo examinavi et excerpti (quamquam multo plura omisi, nonnulla etiam ipse adieci vel commutavi), dignus est, qui totus legatur atque adeo perlegatur: ut equidem optimum censeam, ad librum ipsum rei studiosos esse delegandos. At unum nollem Weisii ex stilo (« a, nimis ex vero » nunc *stilo* nomen erit! « nomen et omen habet! ») excidisse: quod ego respuo ac, quantum in me Italo est, totis viribus repello; sitque hic tandem « longae finis chartaeque viaeque ». Cum enim Weisius (p. 20) ex duabus sententiis, quae in voce virtutis inessent (quarum altera praecipue ad animi facultates, altera praecipue ad corporis vires pertineret), unam tantummodo linguis e Latina progenitis receptam esse dixisset (Francog. *la vertu*; It. *virtù*; Hisp. *virtud*), haec neque blande neque urbane aut satis considerate addere non dubitavit vir ceterum sapiens ac laude dignissimus: « die andere (Bedeutung) ist ebenso wenig auf die romanischen Völker übergegangen wie der römische Heldenmut ». Ut enim popularium ego meorum nomen praefracte tuear, hoc satis habeo meminisse, et praeterita aetate multa fecisse et passos esse fortia Italos, « Latin sanguine gentile », et proximis quoque temporibus in horrida tellure « arida nutrice leonum » clarissima exempla constantiae et virtutis, « di poema degnissimi e d'istoria », prodita esse, ex quibus efficitur

che l'antico valore
Negli italici cor non è ancor morto.

PETRUS RASI.

Qui suos casus aliter ferunt, atque ut aliis auctores ipsi fuerunt, non sunt vitiosiores quam fere plerique, qui avari avaros, gloriae cupidos gloriosi reprehendunt.

(Cic. Tusc. 3).

DE STELA IN ROMANO FORO EFFOSSA NOVAE ANIMADVERSIONES

POST ea, quae de recentissimis circa stelam effossionibus in num. VIII huius commentarii retuli, fasciculus, magna quidem humanitate, de qua gratias et ago et habeo, est mihi traditus, studia atque investigationes referens a clar. viro Dominico Comparetti Italorum collegio, quod de antiquis litteris bonisque artibus inscribitur, oblata.

Quare, cum iam in commentario hoc, clar. viri Felicis Ramorino cooperantis nostri cura, primus nuncius prodierit de investigationibus quas philologus ille Florentinae scholae praeclarus circa monumentum absolverat, cumque ipsius rei pondus requirat, ut summam praebeam adducor, nova etiam recensione omissa de iis quae in fine dissertatiunculae meae proxime evulgatae Ioannem Franciscum Gamurrini nuntiaveram, et reapse primis elapsi mensis Maii Romae edidit.

Comparetius itaque descriptionem effossionum satis sollicitam ante omnia in suo opere exaravit eamque graphicis figuris primus ditavit, quae ad rei intelligentiam plane conferant. Stelae enim quatuor facies alia post aliam dispositas in magna tabula profert, itemque stelam ipsam tribus ex lateribus erectam proponit atque in eo adamussim situ, quem re tenet, defixam, scilicet in monumento cuius est pars; tandemque formam affert delineatamque figuram reliquorum monumentorum, quotquot circa detecta sunt.

Omittit vero illam, quam ipse vocat « pilam informem » uni angulorum quadri ex nigro lapide suppositam, quam conflant lapideae laminae oblongae, tofaceae, et in longitudinem productae, de plano sive, uti appellant, in cultro collocatae, atque ex congerie fragmentorum conflatae caemento alligata.

At pila haec, aliaque pariter sub nigro lapide sita, et parum distans, quae basem atque sustentamentum signis vel columnis forte praebuisse Comparetius scribit in superposita facie comitii erectis, nil aliud reapse sunt nisi puteoli illi, piaculares forsitan, quos in extrema mea recensione recolui; nunc vero addo plures alios detectos esse heic vel illic, iam ad sexdecim postremis his diebus enumeratos, ex quibus suspicio mihi irrepsit, aedificiorum complexum longe latiore inibi antiquis illis temporibus fuisse, quam lapis niger obtegere potuisset. Quidquid vero fuerit, certe quae inde arguit auctor « quadrum nigri lapidis ex nova atque postrema elatione comitii fuisse et ipsum elatum », immo etiam deductum locum versus in quo antea monumentum quoddam stetit, omnino infirmantur. Sed ad inceptum redeo.

Ex ipsa loci votivaeque stipis, quae inibi reperta est, descriptione, tute eruit Comparetius sacram loci naturam, quam aut ex origine ille retinuerit, aut, post sacra expleta, fuerit adeptus. « Iamvero », ipse ait, « facile non est, prouti nonnullis videtur, huius stipis significationem cum stipe antiquorum rudum, quae magnae ipsius parti subiiciuntur, componere. Cum ipsa una cum glareae, quae subest, in elati comitii solo veluti in fovea defixa sit, elationi huic posterior esse videtur: atque probabile inde fit ut rudibus illis, quae sub terra supererant, quibusque occurrit, neglecta virtute, quam olim habuissent, nemo tunc intenderit. Nihilominus verum est sacra quadam veneratione olim coli debuisse antiquiora illa aedificia, quae, diruta iam prouti nunc videmus,

iterum instaurata sunt (alio forsitan modo, at non alio loco) in elati comitii superficie. Quod etiam ex definitione consequitur quam multa argumenta de antiquis illis monumentis suadent, pariterque ex inscriptione de qua sermonem habemus. Constructiones illae cum posteriore connectuntur quae nondum detecta est, cuius frontem exornant. Quae abdita constructio nulla alia ferme esse potuit, inter ea quae exstitisse in comitio scimus, nisi antiquus ille suggestus, qui ab anno 328 a. C. rostra dictus est. Locus ubi aedificia illa consistunt ad unguem convenit cum iis quae scriptores de rostrorum loco tradunt, *in medio foro*, quibus quidem verbis etiam comitium complectimur, vel *ad medium forum* si verbum strictius intelligatur, et *prope iuncta curiae*, vel in comitio *coram curia* et ante forum, ut utraque ex parte oratores adloqui possent sive stantes in foro sive in comitio, veluti primum egisse tradunt Licinium Crassum a. 145 a. C. Quibus perspectis a multo iam tempore arguerunt rostra antiquissima ad comitii angulum inter meridiem et orientem sita inter comitium et forum, qui locus adamussim est horum monumentorum, quae ea ex parte, sub aream praesentis fori usque porriguntur; idque ex recentibus effossionibus inter nigri lapidis quadrum et forensis plateae marginem satis probatum est, cum platea parva in lucem redierit tofaceis axis tecta, quae in parallela linea ad solium et scaleae gradus constituta sunt.

« Convenit pariter ad rem magnitudo: frontem quam videmus, non parvi est aedificii; de rostris veteribus id scimus, superficiem amplam habuisse ita, ut deambulans adloqui posset orator, quod C. Gracchus servabat, et signis exornata esse, parietibusque satis latis, ut aeneae tabulae ad ea affigi possent, et leges decemvirales et aliae forsitan. Praeterea vetustissima traditio refert coram rostris duos leones quondam fuisse; atqui binae illae bases recens detectae producta forma aptissimae sunt ad leones gradientes vel recumbentes sustinendos. Rostra tandem erant et ipsa, prouti de praesenti loco videmus, locus sacer, effatus, septus; ritu augusto veluti templum aedificata atque circumscripta, adeo ut saepe non nisi alio nomine quam templa a scriptoribus memorentur, sacroque iure nec violari, nec profanari neque contaminari possent ».

Suggerit paulo inferius auctor huic asserto convenire inscriptionem in elato cippo insculptam, quae iuxta gradus, quibus ad posterius templum ascendebatur, sita esset. Templi enim frontem atque solium hoc modo decorum frequens multitudo calcabat, si diiudicare licet ex consumptis vestigiis, quae in solio et in gradibus adspiciuntur, pariterque in pavimento, quod coram illis sternitur. Itaque quisquis adveniret vel gradus ascenderet, ad levam insculpta inscriptionis iussa magnis characteribus videbat, quae litteratus vir clar. uti sequitur legit, litteras incertas vel non integras uncibus occludens rotundis, quae vero ad complementum ipse addidit, quadratis.

(b) o i v i o v i o d 16

q u o i h o (n) [c e 1

. s] a k r o s e s -

e d s o r d 3

. a (i f) a s

r e g e i (l o) 5

m a v e 7

q u o s r (i) 7

« Indulgentia - cui stela - quum suggestus pro curia dividitur, producta, distincturae comitii. Itaque, profanationes, guantur binis quidem ceteris sacrationem nibus monumentis spectat comitii fractam lineam. crimina statantum iubeat esse poterat sacrificium mina expiarum exiguis relictere - regi pleat (fas rave [led] a veritate narias illas violationibus tibus verbis suo libito per calatorum

« Reliquum locum curri distinguuntur finis deficientantum, quod transitum per verba illa ipsa loris fuisse casus aut plostro esse possent definire neque recensetur, sumit - iter profert satis quibusdam conditioni

Postremum stratum, quod Cogitavit sacri loci tunc esse adscribitur, tum crorum ex pontifices sa communem

..... m kalato-	
rem ha(b).....	9
.....(i)od iouxmen-	
ta kapia[d] dota v.....	11
m. iter (pe)[r].....	
.....(m) quoi ha-	13
velod nequ[oi].....	
.....o[d] diou estod.	15

« Indubium est - haec enim Florentini magistri sententia - inscriptionem referri ad locum eundem cui stela adest, prope gradus, qui, forte, ad antiquum suggestum ascendebant, coram comitii area, pro curia Hostilia. Inscriptionis contextus dupliciter dividitur, prouti etiam, rudi inter partes linea deducta, distinctus est, et, forsitan, lineis quoque scripturae conversae, quibus prima pars concluditur. Itaque, prima pars violationes spectat, aut loci profanationes, vel eius contaminationes, ibique distinguuntur binae leges inter sese forsitan connexae. Prima quidem certissimae significationis, quamvis mutila, *sacrationem capitalem* minuitur gravioribus violationibus monumento forte per vim inlatis, indeque spectat contaminationes eiusdem (*sord...*); sed ob fractam lineam ignoramus prorsus quae poena in haec crimina statueretur; vel etiam utrum in ius vocatio tantum iuberetur coram magistratu, qui et rex forte esse poterat; tandem verbis ad marginem appositis sacrificium piaculare constituitur, ut huiusmodi crimina expiantur. Altera pars - nimis mutila nimisque exiguis reliquiis, ut tuto possit eius contextus apparere - *regi sacrorum* permittit, ut actus quosdam adimpleat (*fas regi lo...*) idque certis limitibus ad libitum (*mave [led]?*), eius *calatore* adstante. Neque dissitum a veritate videtur huiusmodi actus fuisse extraordinarias illas lustrationes, quae haberi opus esset pro violationibus vel profanationibus insolitis, praecedentibus verbis praesumptis, itemque regi ius tribui eas suo libito peragere, iis tamen diebus, quos ille rite per calatorem nefastos declarasset.

« Reliqua inscriptio spectat ad transitum per illum locum curribus aliove modo. Haec quoque vero bina distinguuntur. Prima, quippe, res, quam caput et finis deficient, nequit exacto tenore referri. Ex tribus tantum, quae supersunt, verbis arguitur ferme eam transitum per locum cum iumentis spectare, atque si verba illa *kapia(d) dota* ita plane legantur, iumenta ipsa loris deduci iuberi. Hinc apparet praecipuos fuisse casus quibus accessus cum iumentis vel curru aut *plostro* iis condicionibus permitteretur; at qui esse possent, sive regifugii caeremonia, sive alia, definire nequimus. Altera lex, quae postrema omnium recensetur, claris certissimisque verbis quibus initium sumit - *iter pe(r)* - atque concluditur - *diou estod* - profert satis vetari transitum per locum horis diurnis quibusdam vel cum quibus certis personis; vel servili condicioni obnoxii, aut servili operi deditis ».

Postrema libelli auctoritatem legis, atque magistratum, qui eam ediderit, eruere nituntur.

Cogitaverat iam pridem Comparetius, cum legem sacri loci tutelam spectare vidisset, pontificibus eam esse adscribendam; nunc vero rem in dubium revocat, tum quia facultas quaedam sacrandi regi sacrorum ex ea tribuitur, tum quia parum certum est pontifices sacrandi ius habuisse. Quapropter lex haec communem originem cum sacratis legibus duxisse

IN HODIERNUM "PROGRESSUM,"⁽¹⁾

*Progredi nostrum vehementer ardet
Saeculum, rerum sitiens novarum;
Devium, lassum tamen usque Porro
Clamat: Eamus!*

*Progredi recte didicit viator,
Qui sibi metam posuit decoram,
Hucque per calles studet aptiores
Tendere cursum.*

*Sic tibi virtus, homo, prosequenda;
Sic fides, candor, pietas pudorque,
Caritas demum, sociata pulcro
Foedere iuri.*

*Artium posthaec eris et bonarum,
Si placet, cultor; speculator idem
Virium, legum quibus, Orbe toto,
Singula constant.*

*Hac via nostrum reliquis praecivit
Saeculis saeculum, latebrosa doctum
Vela naturae penetrare, miram
Saepe per artem.*

*En vapor rhedas agit atque naves;
Iamque successit nova vis vapori:
Fulgur, adstrictum,posito furore,
Volvere currus.*

*Fulgur et filo prosperat loquaci
Iussa longinquis tua ferre terris;
Reddit et cantum, rutilamque gaudet
Fundere lucem.*

*Phoebus ignito tibi penicillo
Pingit actutum nitidas tabellas;
Pingit, arcanis radiis, vel ima
Corporis ossa.*

*Astra, per discum vitreum reflexa,
Aspicias coram; petis ipse caelum,
Sericâ sphaerâ tumidâque vectus:
Icarus alter.*

*Cuncta iam tellus homini patescit:
Sini regni cecidere valla;
Panditur Nili caput aestuosum,
Nixque polorum.*

*Quidquid Aegyptus sua per sepulcra,
Quidquid inscripsit Ninive per udos,
Abditâ linguâ, lateres: recenti
Notuit aevo.*

*Omnis et mundi plaga iam ministrat
Quae plagis desint aliis: metalla,
Ligna, frumentum, tibi quodque sano.
Prosit et aegro.*

*Haurit ex ipsis Medicina morbis
Virus, et, diram domitura tabem,
Tabè cognatâ, vacuâ venenis,
Imbuat artus.*

*Parque chirurgum iuvat ars: salubri
Qui stylo pungit cerebrum; cavumque
Pectus incidens, lavat, ungit, aptat,
Viscera sarcil.*

*Machinae tandem quot ab officinis
Prodeunt, aevi monumenta nostri!
Quae suunt, et neut, et arant, et arva
Prataque tondent;*

*Vivis in terrâ peregrinus, aevo
Natus aeterno: tibi cura princeps
Haec sit, ad caelos pius ut viator
Progrediare.*

FR. XAV. REUSS.

*Quae, levi tactae digito, papyros
Litteris ornant; vel, ubi cidentur
Axe, librorum pariunt repente
Plena canistra;*

*Quae sinum terrae reserant, et imis
Extrahunt stratis latices, opesque
Fossiles, gressus ubi saeculorum
Cernere fas est;*

*Quae maris siccant freta; quae, per Alpes,
Nunc iter caecum terebrâ recludunt;
Nunc struunt turrim, Babylonis arce
Altius actam;*

*Nunc minus rectam seriem domorum,
Vix Atlanteis humeris movendam,
Transvehunt, pastor sua sicut aufert
Linea tecta.*

*His quidem nostrum merito superbit
Saeculum gestis: nihil unde manat
Noxii, vitae nisi negligatur
Cura futurae.*

*Ast idem saeculum minime probandas
Saepe res iactat, quibus heu! retrorsum
(Turpis ut cancer) graditur, minaces
Inter abyssos.*

*Aurei mores ubi sunt avorum?
Quis sua vivit, per agros, per urbes,
Sorte contentus? fieri nec ambit
Celsior aequo?*

*Rusticis passim sua deseruntur
Rura, pellectis specie dolosa
Urbium, quarum vitata pagos
Inficit aura.*

*Cum fames auri genus omne nostrum
Mordeat, pauci bona civitatis
Possident cives; labor atque egestas
Dos reliquorum.*

*Invidet pauper locupletiori
Cuique; nec raro locuples egenum
Opprimit: qui, spe viduus, ruinas
Volvit atroces.*

*Grande vectigal gravat et minutae
Ordines plebis: nihil ut, tributo
Caesari penso, miseris supersit
Panis et aeris.*

*Quidquid in fiscum fluit aeris, illud
Miles absorbet nimius, furorque
Arma cadendi, paritura vastas
Undique caedes.*

*Gens enim gentem superare certat
Arte ferali citius necandi
Hostium plures: rediisse credas
Ferrea saecula.*

*Nec faces belli studiosa pacis
Haga restinxit, truciora quae vix
Tela damnavit, neque pracliorum
Sustulit ansas.*

*Ista ne laudes fera gesta nostrae,
Lector, aetatis: quibus antefertur
Bruta vis iuri, libitum decoro,
Morsque salutî.*

(1) Carmen in litterarum certamine Hoeufftiano Amstelodami indicto magna laude ornatum. — V. U.

existimanda est, neque rex, quem ipsa appellat, ullus alius putandus, quam rex sacrorum, ita ut ea ab aetate regum omnino reiicienda sit, atque anno circiter 500 a. C. redactam, omnibus perpensis, concludere liceat, quod est paulo post creatos tribunos plebis.

Hactenus Comparetius, cuius verba quam maxime potui ad amussim retuli. At quaestio sua sponte exurgit: Si de rostris legem statuisse credamus elato in loco constitutis, ad quid ea, quae in altera eius parte caventur, de iumentis quae per locum



Tuscanensis S. Petri aedis prospectus exterior.

illum transirent? An itaque nullus alius locus ipsis patebat, quam illi templi gradus... a quibus arcebantur?

Praeterea clar. auctor cum concludit, oblivisci videtur nonnullorum quae maximopere in praemissis adnotaverat, ita ut propria figura delineata praebuerit: bases scilicet quae e monumenti fundamento exsurgunt, quod aliud aedificium in quo stela defixa est obtruncat. Harum altera, quae adhuc integra manet, formam suam satis praebet, earum similem quam in antiquis Etruscorum monumentis invenimus. Hic vero architecturae stilus quomodo convenit tribunorum aetati, quam evincere scriptor contendit? Proculdubio longe antiquior habendus est. Atqui, si antiquiora haec fastigia, quanto magis idem de monumento illo dicendum est, quod locum alteri cessit, itemque de stela quae ipsius partem constituit? Ceterum etiam de litterarum forma Comparetius adnotat eam esse omnino graecam et figura et stilo, « ita ut primo obtutu, veterem graecam inscriptionem sese spectare quisquis credat », et « Dionysius plane intelligatur, cum de vetere graeca scriptura circa Servii Tullii tempora loquitur ».

At meum non est critici partes agere, sed tantum lectoribus referre quae de vetustissimo Urbis monumento hinc et inde clarissimi viri sentiant. Multa itaque et varia obicienda praetereo, quae ex libelli lectione mihi venerunt in mentem. Qui quidem etsi summa doctrina digestus me tamen ex opinione minime dimovit, nos monumentum reperiisse, cuius muto sed ineluctabili testimonio patriae historiae paginae confirmantur, quas verbis delere plures incassum conati sunt.

ROMANUS.

DE QUADAM TRANSVAALIANA POETRIA

Cum his praesertim diebus Transvaalium bellum omnium oculos animosque ad se convertat et rapiat, commentarii quoque omnes huic rei fere penitus dediti sint, non intempestivum videtur, memoriam cuiusdam foeminae in Transvaaliana regione ortae, quae poeticam non sine laude coluit, excitare, licet nostrae non sit aetatis.

Sub MDCLVIII annum prope ripas magni fluminis cui nomen Modder-River (ubi primo maxima acta est pars belli Transvaaliani) parvus quidam pagus circumdatus oppugnatusque est a magna praedonum manu, qui eum diripuerunt, omnesque incolas mancipiorum negotiatori vendiderunt. Horum in numero poetria quoque fuit tunc circiter quinque annos nata, de qua hic agimus.

Interiecto tempore, in Americam transvecta est, ubi exeunte anno MDCLXI, cuidam vendita est John Weatley, perdiviti venalicio, a quo ei nomen Fille Weatley inditum est. Cum suavissimis esset moribus, domini sui gratiam ita est consecuta, ut non solum a laboribus, quibus mancipia subiiciuntur, liberaretur, verum etiam a domesticis negotiis, quo facilius in studia litterarum incumberet. Desiderio lectitandi potissimum Divinas Litteras quam maxime ardebat, quo factum est, ut perbrevis temporis cursu latine disceret. Anno MDCLXXII decem et novem annos agens libellum edidit carminum, qui pluribus typis exscriptus in Anglia atque in civitatibus Americae Septemtrionalis foederatis vulgatus est. Ne quid autem dubii de libelli auctoritate relinqueretur, ipse John Weatley dominus, praefectus provinciae, eius legatus, alii denique clarissimi viri luculentissimum eiusdem perhibuerunt testimonium, ut in capite libelli cernere licet. Iuvenis poetria manumissa est anno MDCLXXV, et paulo post cuidam nupsit nigritae, nomine Peter, qui cum praestantissimo ingenio praeditus esset, obtenta iurisperiti dignitate ac nomine, nigritarum causas strenue saepissime egit.

Sed cito mutua eorum voluntas defecit, quod vir eam minime utilem ad domestica negotia experiretur. Saepe eam obiurgabat et aspere tractabat; quod tam vehementer excruciatum eius animum ac sollicitavit, ut paulo post vertente anno MDCLXXXVII e vita egrederetur. Vir eius autem, a quo filium susceperat in incunabulis morte praereptum, tres tantum annos mulieris vitae superfuit.

Omnia huius poeatriae carmina, anglice conscripta sermone, magna nitent subtilitate, elegantia ac numerosa versuum concinnitate; sed quod magni habendum censeo, quaedam absque dubio vis est, quae res maxime humiles et contemptas sensu afficit eis-

que dignitatem affert. Passim etiam vehementer suorum infortunia dolet civium, qui servitute oppressi tenebantur. Quenam eius essent carmina, si fratrum virtutem nunc aspiceret? Quibus versibus victorias, calamitates, studiumque libertatis et rei publicae celebraret?

T. PACI.

EX AMERICIS

PHILOCTETES

Sophoclea tragoedia in scenis acta.

QUUM multi his nostris temporibus studiorum emendatores totis nervis contendant ut graecam, quam dicunt *mortuam* linguam, e scholis removeant, haud iniucundum fuerit de tragoedia quadam, quae graeco sermone nuper est acta, pauca hic accipere.

In Canadensi provinciae Manitobensis urbe, nomine Sancti Bonifacii, ludus de quo loquimur magno cum successu lusus est. Ex septem quae hactenus servatae sunt Sophocleis tragoediis, illam quae vocatur *Philoctetes* elegerunt alumni Manitobensis gymnasii, et eam, quoad fieri potuit, ad modum Graecorum recitarunt.

Tunicae chlamydesque personarum, orationis pronuntiatio, quin imo et motus cantusque choristarum ipsas Athenas redolere videbantur. Et chori cuiusque musica, datis nervorum vocumque gravitate ac varietate, tanti erat pretii, quae plausus omnium sibi sola vindicasset, etiamsi fabulae actio spectaculi decori defuisset.

Quapropter scena haec a Manitobensibus acta, tanti ab eius regionis populo facta est, ut non semel modo, sed et iterum edi cum favore publico potuerit. Et quamvis, abhinc decem annis, plurimi huius provinciae *protestantico* cultui adhaerentes, multo conatu satagant, ut catholicas scholas e finibus suis exturbent; nihilominus propter rei tam antiquae novitatem, die recitandae fabulae indicto non dubitarunt, catholicum Sancti Bonifacii gymnasium, curae Patrum Societatis Iesu devolutum, adire, et ludorum scenarum aulam praesentia sua complere. Plausu crebro verba dicentium omnes auditores acceperunt; et peracta scena, acatholicus quidam, legum doctor, et vices gerens rectoris unius ex quinque gymnasiis, quae cum Sancti Bonifacii athenaeo universitatem Manitobensem constituunt, nomine cunctorum adstantium successum alumni gratulatus est.

Dum torquet ingenia multorum quaestio illa scholarum Manitobensium, de qua Summus Pontifex Leo XIII litteras encyclicas « Affari vos » edidit, non est dubium quin ad pacem acatholicos inter et catholicos Manitobenses conciliandam secundus huiusce scenae eventus magno adiumento sit futurus.

I. B.

TUSCANIENSIS S. PETRI AEDES

MONUMENTUM veterum pretiosissimum artisque lectissimae specimen pulcherrimum, templum Sancti Petri Tuscaniense referimus, prouti exterius renidet, prouti interius nitescit. Condidit illud, ut vetus fama tradit, sanctus Deodatus Tuscaniense episcopus anno circiter ducesimo sexagesimo, ibique Secundiani, Veriani atque Marcelliani martyrum, quorum passioni adstiterat, sacras exuvias reposuit. At quam vir sanctus aedem excitaverat Tuscanienses quibus iam exiguum rati, septimo Ecclesiae saeculo abarserunt, ut ampliori forma restituerent. Inde inter templa, quae Romam circum Langobardorum stilo excitata sunt, hoc vetustissimum reputant, quod artis murariae magistri, quos *Comacinos* nuncupaverant, delineaverunt atque exstruxerunt.

Verum tribus post saeculis cum neque tanta operis

species Tuscaniense templum, quae arcus ce-
pavimento su-
dam comptis
in abside nov-
superposito
Tuscaniense
Templi fa-
elegantia mi-
portis inque
ipsa satis lo-
Attamen
numento glo-
riae Maioris
drale; cuius
nos oblaturos

DE QUORUM
LEGENTIBUS
sices cu-
indulgentes
bus spectato-
leberrimus id-
musicae dec-
lud Horatii
ut eius dom-
recepit, lae-
Eo enim pra-
ctris viri no-
tisque pollen-
solebant, qui
rentur habit-
tum nugatori-

Iamvero
inflandae, qu-
ritus Ioachim-
adprecatu, u-
qua viveret,
cantus quoti-
— Bene est
ctabo artis,
tubam, sis,
habeo — his
Lepidus
dum lagano-
variis condit-
coctum, sum-
tubae parten-
ter modum m-
oris aliquant-
egregius bu-
mum frequen-
resonantem,
ab arguto a-
contentione
nium exspec-
potuit. Tum
bam labiis i-
Horatio dica-
sed frustra:
ctatores hau-
magis, quod
toris specta-
casset. Quan-
lans, fractum
erexit verbi-
ab incepto m-
inquit — tot-

species Tuscaniensibus satis esset, aedem ampliandi consilium suscipientes, novorum artificum opera binos utrinque arcus ceteris iam exstantibus addidere, atque absidis pavimento sublato, cryptam substruxerunt satis commodam comptisque lineis venustam. Statuerunt imo media in abside novum altare, peristromate ad instar pyramidis superimposito, quod anno 1093 curante Riccardo episcopo Tuscaniensi aedificatum est.

Templi facies, Romanae marmorariorum scholae opus, elegantia mirifica praestat: haec enim in fenestris, in portis inque minimis ornamentis praelucet, prouti imago ipsa satis loquitur.

Attamen non uno hoc Tuscanienses lectissimo monumento gloriantur, sed et aliis, praecipue Sanctae Mariae Maioris templo, quod immo primum fuit cathedrale; cuius etiam lectissimam formam lectorum oculis nos oblaturos proximè confidimus.

A. COSTAGGINI.

DE QUORUMDAM MOROSO MUSICORUM INGENIO

LEGENTIBUS nobis res gestas perinsignium musicis cultorum facile occurrit aliquos ex iis, suo indulgentes genio, ridicula quaedam suscepisse, quibus spectatores necessario ediderint cachinnos. Celeberrimus id genus habetur Ioachim Rossinius, italiae musicae decus, hilari argutoque ingenio vir, qui illud Horatii «Carpe diem» adeo in usum deduxit, ut eius domus Parisiis, quo, ineunte senectute, se receperit, laetum quodammodo hospitium dici posset. Eo enim praeclarissimi quique litteris, artibus, doctrinis viri non modo, verum etiam honoribus divitiisque pollentes quotidie vesperi certatim convenire solebant, quum ad Rossinianam adeundam moverentur habitationem tum excellentissimi musici fama, tum nugatoris argutiis iucundisque facetiis.

Iamvero quidam homo longae curvaeque tubae inflandae, quae italice dicitur *trombone*, apprimè peritus Ioachimum invisit, eumque vehementer est adprecatus, ut viam sibi strueret ad artem agendam, qua viveret, in quodam theatro, ubi musices et cantus quotidie edebantur spectacula. Cui Rossinius: — Bene est — inquit — hodie vesperi hic te exspectabo artis, qua polles, testimonium a te auditurus; tubam, sis, domi relinque, namque et ego habeo — hisque verbis illum dimisit.

Lepidus interea musicae doctor rotundum laganorum volumen carnis succo et variis conditum aromatibus lentoque igne coctum, summa iniecit diligentia in curvam tubae partem, quae veluti floris calix praeter modum magni sensim patefit, summisque oris aliquantulum extenditur. Statuta hora egregius buccinator Rossinii se contulit domum frequentium iam vocibus amicorum resonantem, atque musicum instrumentum ab arguto acceptum magistro tota animi contentione inflare coepit; sed praeter omnium expectationem sonus minime accipi potuit. Tum ille maiore impetu aëra in tubam labiis immisit, ambas buccas, ut cum Horatio dicam, ridiculum in modum inflans, sed frustra: quo factum est, ut risum spectatores haud amplius potuerint tenere, eo magis, quod iis Ioachim de praeclari sonatoris spectaculo iam satis abunde praedicasset. Quare Rossinius benignitatem simulans, fractum buccinatoris animum suavibus erexit verbis, illumque est adhortatus, ut ab incepto minime desisteret: — Eia age — inquit — totis viribus, quae tua peritia est,

tubam infla, et festivo iucundoque sonitu nostras permulce aures.

Itaque miser partim verecundia, partim indignatione, quam vix cohibere poterat, gelido manans sudore, instrumentum tanta vi suscepit inflandum, ut tandem laganorum involucrum vehementissimo aëre impulsum foras erumperet, atque gravi idemque iniucundissimo sonitu, anatis clamori persimili, aula undique resonaret. Fateor hic me verba deficere, ut hanc scenam ob oculos lectorum ponam, quibus facilius, quam non ego describam, mente fingere licebit tum tubicinis stuporem animique perturbationem, tum effrenatam spectatorum laetitiam atque perstreptentes cachinnos. Id unum tamen notandum superest, postero die ridiculum buccinatorum, quod sibi propositum habuerat, Rossinio favente, plene perfecteque fuisse consecutum.

Praeterea, ut alia id genus quamplurima brevitate gratia omittam, accidit ut clarus quidam musicae magister diem obiret supremum. Eius nepos, ut Euterpes alumnus haberetur, Missae hymnos et preces funeris vestivit concentibus ad patrum memoriam, ut is aiebat, iure merito recolendam, re ad plausum captandum et gloriam. Funebres cantus Rossinio exhibuit, enixe petens quid illi de musico opere videretur. Cui argutus magister, postquam scriptum ad trutinam tantisper revocavit: — Melius — inquit — fuisset profecto, si ad tui memoriam patruus tuus musicen conscripsisset.


Neque a praeclaro Pisaurensi musico argutiis facetiisque dissedit Paganinius, praestantissimus atque incomparabilis illius chordisoni instrumenti pulsator, cui italice nomen *violino*. Quum enim in quodam Italiae oppidulo rusticaretur, pluribus diebus continuis accidit ut horis a meridie, quibus vires aestu fractae quiete ac somno plerumque refici solent, organa pulsarentur a quodam vicino, qui id temporis ad musicas exercitationes accommodatius habere videretur. Grave fastidium aegre tulit Paganinius, qui par pari referre molesto musico constituit. Quare intempesta nocte, magno amicorum agmine comitante, ad portam stabuli asinorum se contulit, quod humillimae domui modulatoris organorum subiacebat. Notandum summis stabuli foribus,

uti mos est, bina fuisse rotunda foramina, quae spirabilis aer pervadere posset ad alendam pecudis vitam necessarius. Magna interea amicis erat expectatio, quos lepidum Paganinii consilium plane lateret, quum praeclarissimus fidicen admirabili, qua pollebat, arte nervos percutiens, asellos rudentes quam perfectissime imitandos suscepit. E somno excitatae longis auribus bestiae, rataeque se a comitibus ad pabula invitari, identidem primum ac submissa voce respondere, deinde omnes simul toto pectore rudere, clamoribusque stabulum implere. Tum perinsignis musicus increbrescenti sonitu asellos vehementissime excitavit, qui quum foribus impedirentur quominus egrederentur, furiis exagitati horrendum in modum rudere, hac illac cursitare atque insanire coeperunt, ita ut aer undique strepitu resonaret, qui aures obtunderet. Experrectus insolito atque horrifico asinorum choro organorum pulsator, caput e fenestra exseruit, quumque animadvertisset asinos rudentes ex magico Paganinii instrumento excitari, asperis verbis praestantissimi fidicinis importunitatem coarguit. Cui contra Paganinius: — Iis diei horis, quibus, aestu vehementius fervente, quies ad somnum maxime exoptatur, tu quidem de organis pulsandis libenter delectaris; mihi vero tepenti noctis tempore musicos concertos una cum asellis edere prigratum est; «trahit sua quemque voluptas». — Quae verba miros spectatoribus moverunt risus. Sensit tunc molestus vicinus se iniuria praeclarissimum fidicinem de fastidio obiurgasse, gravique affectus verecundia e spectatorum oculis extemplo se eripuit. At vero postea gravis organorum sonitus haud amplius Paganinio meridianum excussit somnum.

HERSILUS.

VITA FUNCTI VIRI CLARIORES

Mediolani, **Carolus Giussani**, vir ingenii acie et eruditione praestantissimus, primum ad Idorum philosophiae ac poeticae studium sese applicuit, deinde in cognitionem rationemque litterarum latinarum toto animo incubuit. Iudicio exquisito usus Lucretii poema et litterarum latinarum historiam vulgavit; nunc vero de Ciceronis sapientia inquirebat.



Tuscaniense S. Petri aedis prospectus interior.

Casertae, **Aloisius Toro**, pictor historicus valde celebratus.

Ebenick, in urbe Germaniae, **Michael Munkacsy**, pictor et ipse, suae artis vim et ab Hungariae patriae casibus et Evangelii divina narratione summa omnium laude optime deduxit.

Lutetiae Parisiorum, **Ioseph Bertrand**, numerorum et naturae acutus investigator; et **Ioannes Falguière**, qui animosa signa marmore effingens magnum sibi nomen peperit.

Florentiae, **Ioannes Marinelli** disciplinae quae terram describit in Italia instaurator.

Romae in Collegio S. Alberti, **P. Aloisius M. Galli**, Carmelitarum Calceatorum inde ab anno M DCCC LXXXIX supremus moderator. Ortum habuit in oppido, cui nomen Perusino, prope Reatinam urbem, anno M DCCC XLII. Ingenio, doctrina, prudentia multis in rebus probatus incremento sui Ordinis maxime studuit, auctis provinciis, restitutis domibus, templo S. Mariae trans pontem in Urbe multiplici opere exornato. Suavissimis moribus omnibus carus et in omni studiorum genere versatus, commentarium nostrum in deliciis habuit curavitque sedulo ut inter suos maxime alumnos vulgaretur.

P. A.

DE LABYRINTHIS

QUUM Anhaltini principis in Germania deliciosus ad regiam arcem hortus labyrinthum contineat, qui et significatione et amplitudine et spectandis plurimis late oculos animosque meos nuper devicerit ac devinjerit, sinite me ad vos de re scribere, nam ipse ad instar graculi sum, cui opipare comedere certe non sufficit, nisi de voluptate titillantis comestionis ovanti gutture proximis remotisque testetur, vallibusque ac montibus non rogatus profiteatur.

Iamque vos mirari video quid sit, iamque audio exclamantes: «O tribus dignum caput Antyciris! Nonne satis fuerant tot itinera emensa? Numquid et iis et morbo defatigatus? Numquid rei domesticae

14)

LOLLIUS

SIVE DE PROVECTA LATINITATE

Non intellexit Romulus Amaseus, qui in concione habita coram Carolo V contendit vernaculum sermonem esse cauponibus relinquendum. Neque id magis sunt assequuti Sadoletus, Flaminius, Vida, Sanazzarus, ceterique ex illo tuq indice, qui, ut sese a vulgo secernerent, mutuati sunt linguam a mortuis. Uni licuit, haereditatis pleno iure, splendidum hoc adire patrimonium, supremae Ecclesiae auctoritati suis in legibus ac ritibus. Decuit enim Religionis maiestatem sermo antiquus ac severus, sanctiusque et reverentius visum est proprio ac stabili eloquio tractari res divinas, quam communi ac mutabili. Quam obrem qui augustae voci tantae Matris digne et cum fide resonarunt, eorum scripta, etiamsi forte non semper ad unguem castigata, admiratione digna plausuque existimo, qualia Leonis, Hieronymi, Ambrosii, Hilarii, Damasi, Prudentii, Sedulii, Fortunati, Mamerti, horumque similia. Quae vero mihi indigita elegantiarum lumina, arcadica illa sunt, lucentque fulgore non suo.

Treb. — Tergiversaris, amice, ac transversis nos agere itineribus tentas. Quid enim refert, sacrane an profana fuerint persequuti, magnane an parva, publica an privata, communia an sua? Effice ipsos crasse illepideve scripsisse; tum demum tibi assentiar.

Pis. min. — Lucent, inquam, fulgore non suo. Quum enim demortua lingua non possent nec se nec aetatem suam expresse referre, ascivere dicendi genus, auribus quidem aptum, a veritate tamen quam longissime distans. Rei autem veritate sublata, non arduus hercle lusus est Ciceronis facundiam imitari verbis, aut Catonis gravita-

tae damno eruditus nondum fuisti, ut rursus inciperes veteri more vagari? Proh! nolite me diris vovere; cucurri, insequutus sum detentorem pecuniarum mearum, qui conflato sacco Parisiis abierat, ut ille dicit, abeundi gratia; ego furandi gratia dicam.

Tum reperiens adeo magistratum, qui mature omnia gessit, ut coram ille staret maturius, addito custode ne fugeret; atque ita argenti mei rursus potitus (1), iudice ipso suadente, non demigravi loco nisi prius quae visu digna erant singula consideravissim. Ah fatear! Suspicio medullis insidet, et suspicionem meam tacitus continere non possum. Mature omnia, audito meo nomine, gessit. Stultus ego credideram ita gessisse quia contra Gallum res erat; fateor nunc ita gessisse quia pro Gallo, ac praesertim pro Vieillotio. Latine ille libentissime loquebatur, meque in commentariis vestris, immo nostris, novisse dicebat, collegam etiam saepe humanissime nuncupabat... Numquid ipse ALT, cuius interdum ad vos a Germania epistolas lego? (2) Gallica elegantia et urbanitas morum me ab interrogatione prohibuit; sed si res est, uti suspicor, gratias commentario vestro et ago, et habeo, et referam, nam huius ope nonnihil subsidii mihi factum est in re periculosa et volucris, a qua prorsus excidissim inanis, nisi festinantis adfuisset diligentia magistratus.

Iamque hoc epistolae dignum argumento exordium est, dignum ambagibus labyrinthorum, de quibus loqui constitueram, et loquor.

Quis nostrum non meminit quae narrat Ovidius in VIII *Metamorphoseos*? Destinaverat Minos amovere regis aedibus Minotaurum, Pasiphae scelus, Minotaurum « semibovemque virum, semivirumque bovem ».

(1) Socio et amico humanissimo gratulamur vehementer: non enim omnibus eadem fortuna! V. U.

(2) Rem heic non tetigisti: ALT enim Berolinum colit. V. U.

tem, aut candorem Tibulli. Quid vero tam fatuum tamque ridiculum quam cordis a lingua discidium? Personas habes, non homines; aptantur indumenta statuae. Quid igitur tantopere laudas? Nempe non sua sententiarum lumina; certos et circumscriptos verborum ambitus; verba verbis quasi demensa, rite disposita, exquisita ad sonum; locutionem emendatam et latinam; singula dilucide planeque dicta; numerosam comprehensionem apteque cadentem. His contentus artificium pensi habes, non artem; morigeraris auribus, non animo; plaudis Verri fana expilanti et asportanti simulacrum Cereris Hennensis. Audite, audite, in huius honorem Divae suavissimum carmen.

Aspice, magna Ceres, tibi quos semine peracta

Ducimus agrestes, rustica turba, choros.

Tu face ne nimio semen putrescat ab imbre,

Neu sulcos rapido frigore rumpat hiems.

Sed ne fatigem diutius lassas aures Philippi, habete carminis piissimam clausulam.

Sic erit; interea nivei carchesia lactis

Fundite, et annoso mella liquata mero.

Terque salas circum felix eat hostia fruges

Caesaque mox sanctos corruiat ante focos.

Nunc satis haec; post messem alii reddentur honores,

Et sacras cingent spicica sarta comas.

Eo cantu mirifice delectati omnes, imo rapti, haud secus ac si Orpheum audissent, primo siluere; mox ingenti plausu Tibullum consalutarunt. Philippus autem, qui convivarum octo facile fungeretur munus: — Nunc tandem — inquit — discedam satur, degustato Tibullo. — Iamque assurgenti excutientique mantile Mucius, digitis gubernantibus vocem: — Siste — ait. — Frigida oportet esse in convivio postrema, quibus in ventre atteratur cibus.

Multiplicique domo, caecisque includere tectis.

Daedalus, ingenio fabrae celeberrimus artis,

Ponit opus, turbatque notas, et limina flexu

Ducit in errorem variarum ambage viarum.

Non secus ac liquidus Phrygiis Maeandrus in arvis

Ludit, et ambiguo lapsu refluxitque, fluitque,

Occurrensque sibi venturas aspicit undas,

Et nunc ad fontes, nunc ad mare versus apertum

Incertus exercet aquas; ita Daedalus implet

Innumeras errore vias; vixque ipse reverti

Ad limen potuit; tanta est fallacia tecti!

Sed huius aedificandi longe alia causa ac ea, quam adstruit Graecia mendax, audens in historicis, mihi videtur, quum ad imitationem Aegyptii labyrinthi Daedalus fecerit, a quo exemplar, si Pomponio Mela in I libro sit fides, Daedalus sumpserat. Quid commune esse possit inter Aegyptium Apim, taurinum numen, et Minotaurum vos videte; mihi inesse visum est. Aegyptium autem labyrinthum antiquiorem Cretico, amplioem insuper, quum inter Creticum et Aegyptium proportio esset, quae inter unum habetur et centum, magnificentioem autem adstruunt, quia pariis columnis et marmoribus ornabatur in aditu, cetera vero, quae interius, syenitico lapide coruscabant. Atqui labyrinthus Aegyptius religioni inserviebat, scatebat idolis, sphingibus, virorum deumque simulacris frequentissimus, ac tum operibus terebrantibus montem, tum superadditis aedificiis et circumductis omnibus solemnibus ritibus, sacerdotioque aegyptio famulabatur. Hic autem mole, quippe et ruinae adhuc exstant; Creticus elegantia praestantior. Quicquid autem sit, recte iudicat Plinius, qui de hisce (lib. XXXVI, cap. 13) agens decernit vere illam regis vesanam fuisse dementiae quaerentis gloriam impendio nemini profuturo, fatigantem regni aerarium et populi vires, cum tamen laus omnis non regi sed artificii, nempe architecto, tribueretur.

Tertius labyrinthus Lemnius erat; Lemnii autem, si Pausaniae credimus, Pelasgi idem ac Tyrreni et

Phil. — Crede sis Erasistrato; ego cum Hippocrate sentio, per calorem concoqui cibos.

Muc. — Apponentur etiam calida, statim post dulciora.

Phil. — Parce his; quid enim dulcius exhibeas gustato Tibullo?

Iamque Trebatius, continendo gaudium impar, ore et voce qualis esse solet nuntiantibus insperatum de hoste triumphum: — Quem audistis — clamat — est Nava-gerius, non Tibullus.

Cui statim Philippus: — O rem omnium frigidissimam! Quid enim frigidius quam Christi saeculo XVI serio dici Cereris laudes? Iube, Muci, afferri calidam potionem ex faba arabica.

Treb. — Proh Cereris fidem! Nomi ergo plausisti, non homini. An vero poetarum laus est in re proposita, non in arte rei tractandae, quaevis denique illa sit? Sed iam sentio me de his rebus disputantem cum medico perdere oleum atque operam. Tu velim, Lolli, qua prudentia es, dirimas litem.

Loll. — Dicam breviter. Nihil est de quo non possit dici quam optime. Quin etiam « in tenui labor » (1), ut habet in *Georgicis* Maro. Itaque et in Catullo passer vincit epitalamium, et in Aligherio Ariminensis Erebi incola longe verior est atque venustior caelesti Beatrice, et Leopardi *Genista* carmine de Italia multo sublimior. Cur ita? Quia eligendae ac tractandae rei magister est suus cuique animus et conditio praesens, hoc est vita, non ad arbitrium efficta, sed intima et vera. Nam sicut in omni rerum natura, ita etiam in arte, nihil vivit aut movetur exterius, quod non interius ante latuerit.

(Ad proximum numerum).

P. ANGELINI.

(1) *Georg.* IV, 6.

Cretenses bantur. Insignita columna micantibus.

Quarta aedificatio a fere miraculobuitur monsepeliretur.

Nescio

primum ve

tari in hor

modo mur

et lapide

adversorum

ab hinc trib

nullos, qui

prae omnib

quentissim

Anglia, cur

perest unus

108 in fron

pulcherrim

multis pass

productis a

difficile sit.

mos idem f

principes e

labyrinthi a

marmoreis

rum errore

regiam, qua

malisque pu

Luxembour

ficio et arbo

quae Austr

simus oculis

At meo

marte cum

giam princip

Dicam p

ut qui in ill

manae vitae

licet, ut in

luptatem, ex

tibi profunde

hinc inde sep

lugubribus

midis herbi

tantem. Prog

domus, obsi

unico in un

scias saepe

gradientes a

rint, multum

et silvestrib

omnia, consi

ponitur, at si

inque iis tab

Iamque ades

saxis, tota t

ascendens d

prope barath

gitque spum

collis parte,

Hic brevi pa

gradibus ad

surges, iteru

ad terrorem

electio!» Q

ginta circiter

Cretenses religione, moribus, origine, lingua habebantur. Insignis hisce labyrinthus centum et quinquaginta columnis erat singulari marmoris genere late micantibus ac renidentibus.

Quartus denique, Italicus regione, Etruscus loco, aedificio atque arte, talis et habebatur, et erat, ut fere miraculum artis reputaretur. Porsenae regi tribuitur monumentum, quasi ut in ipso regium cadaver sepeliretur.

Nescio quo fato in mentem ditissimi hominis primum venerit errores ambagesque labyrinthi imitari in hortis ad delicias instructis, eosque deducere modo muris myrto virentibus, modo ex caemento et lapide manufactis, modo per viscera montium adversorum itineribus patefactis. Certum est saeculis abhinc tribus vel pecuniosos, vel nobiles viros fuisse nullos, qui sibi sumptuosam villam si exstruxissent, prae omnibus de labyrintho non cogitassent. Hinc frequentissimi ubique labyrinthi, neque hisce caruit Anglia, cum regnaret Elisabeth, quorum immo superest unus ad Hatfield, qui 174 pedes in agrum, 108 in frontem porrigitur. Labyrinthus Hampton eo pulcherrimus tempore, cuique ex historia nomen, multis passuum millibus circumvagatur brevi campo productis arte mirabili, ita ut centrum eius attingere difficile sit. Apud Bataviae et Neerlandiae Croesos mos idem fuit, atque in palatio, quod dicitur Zoo, ubi princeps eius ditionis, *Statolder*, morari solet, anno 1690 labyrinthi aedificatio suscepta est, fontibus, signisque marmoreis aeneisque ingens, atque sexcentarum viarum errore inextricabilis. Apud nos, Parisiis, apud regiam, quae *Tuileries* dicebatur, idem erat cupressis malisque punicis apprime mirabilis; alter erat, qui a Luxembourg appellabatur, et ipse pulcherrimus artificio et arboribus et maecandris. Est et Vindobonae, quae Austriaci est caput imperii, labyrinthus gratissimus oculis, gratissimus obeuntibus.

At meo iudicio nullus erit, qui aequo pugnabit Marte cum isto, in quo nuper versatus sum, cum regiam principis Anhaltini inviserem.

Dicam primo ita constitutum dispositumque esse, ut qui in illum pedes posuerit casus annosque humanae vitae sub oculos, atque in corde habeat; scilicet, ut inquit poeta, votum, timorem, iram, voluptatem, exitum denique. Describam ut potero. Finge tibi profundam vallem arboribus consitam, rupibus hinc inde septam, circumpendentibus obscuram ramis, lugubribus plerumque foliis, et vix hic, vel illic timidis herbis, timidis floribus, timidaque luce laetantem. Progredienti atra apparet nigro lapide erecta domus, obsita spinis, tribus patens portis, adituque unico in undique conclusum adducens pratium, ut scias saepe in ipso limine succidi vitam. Qui retro gradientes alterum duas inter hermas aditum inierint, multum euntes et redeuntes caecis anfractibus et silvestribus per aspera, per dumeta, per dira omnia, consistent apud abyssum, cui pons superimponitur, at siccis utrinque ramis, non muro defensus, inque iis tabella legitur: « Viator, intende acrior! » Iamque adest non via, sed semita, sed callis tota saxis, tota truncis interrupta, tota praerupta, modo ascendens difficilis, modo descendens acclivis, quam prope barathri genus omne et voraginum hiant, rugitque spumeus torrens, et quasi non satis, dissecta collis parte, apparet funebre monumentum a longe. Hic brevi pausare poteris, nam brevis et platea est, gradibus ad sedendum circumductis. Mox ubi assurges, iterum caeca te vallis excipiet, gradientisque ad terrorem albae tabellae inscriptum est: « Durior electio! » Quid si procedes? In antro apparet, triginta circiter passibus imo, simulacrum Leda cum

cycno, propiusque legis: « Revertere! » Si tibi tantus amor et cupido tanta videndi erit, quibus, neglecto monito, ultra gradiaris, vix credibile est quot horribilia apparebunt, totusque eris inter pericula cadentium saxorum, fluentium aquarum, abyssum. Iamque manas sudore laboris et mortis, cum repente, dum haeres rupi fere inviae, ne in voraginem ruas, scopulo deficiente, apparent Elysii campi,

Fortunatorum nemorum, sedesque beatae.

Non peperci laboribus, neque terroribus cessi. Iter complevi, et, semel in Elysiis moratus quantum par fuit recipiendo spiritui, per brevissimam planamque viam redivi, nihil curans de magnifico illo templo, credo Cythereiae sacro, quod totum ex marmore est, et in quo Proserpinae historia est affabre sculpta.

Si quando quis vestrum venerit, videat hortor; at ne se periculis credat, oro. Quae enim voluptas est in subeundo vitae discrimine nulla proposita laude virtutis, immo fatua virtute?

Nunc Lutetiam redeo; inde ad vos de magna illa artium recognitione frequentiores litteras mittam.

A. VIEILLOT.

COMMUNIA VITAE

De indumentis virorum. (1).

AT quia longe expectationem vestram praetergradiunt, lectores, ea, quae, ut in superiore numero retuli, indeprecabilis ille venditor in me congressit, pueroque suo portanda tradidit, monens ne antea me dereliqueret, quam camelo dignum onus domi meae collocaret, interest ea noscere, quae deferebat.

Ubi domo mea potitus est, sarcinam gestatam humeris super lectulum deiecit, et funiculos, quibus obstringebatur, coepit absolvere. « Synthesim lineam », « taeniolis » rubris caerulisque a collo ad pedes descriptam, « stolatam », « palmatam », maecandrisque sexcentis quaquaversus ornata decerpit, et sellae scriptoriae imposuit intuendam. — Quorsum haec? et quis de hac vel te, vel dominum tuum rogavit? — ego petivi. At vafer ille: — Neque tu, neque ego, neque dominus meus hanc volueramus; sed cura tui apud nos maxima, rerumque sollicitudo tuarum suaseret ferendam. Quum enim in cubiculum redieris, ista indueris, demissis vestibus laneis multo maioris existimandis et habendis, ne illas usu consumes. Viliora iuvat indumenta atterere, ut pretiosiora serventur. — Opportuna erat; probavi, et assensi.

Tum duodecim apposuit « subuculas » candidissimas, gossypinas, « amylo » superfuso pro pectore nitentes, totidemque binos « manuleolos » ex gossypio pariter, et amylo pariter infuso solidos et renidentes, totidemque eiusdem generis « fasciolas », quibus collum cingimus, seu mavis appellare « strophia », sive « collaria », seu « subgularia ». Quae mihi ostendens et laudans: — Nonne — ait — haec et bella sunt, et necessaria munditiae? — Credo — dixi — sed non erat his locus; non enim his ego. — Egebis, bono tuo — ille respondebat — egebis et hisce et aliis, vives quippe diu et ad maiora et feliciora quotidie proveheris. Bene sint haec! Quinimo de te cogitavi, si quando rediens domum sudore perfusus — est namque aestas ad ianuas — amyllum et amyllum exuere desideraveris; hinc ecce tibi. — Atque haec inter e promptuario illo « indusia » et « supparos lineos » educebat. — At — prosequatur — praevimus omnia, et singulis consulimus: ecce « braccas gossypinas » quibus hyeme, « linteas », quibus aestate felix utaris. — Duodecim et ipsae numeratae sunt singulae. Cumulum conficiebant!

Rapidis manibus aliquid inter allata quaerebat; tum, quasi triumphans repertis: — Proh! timebam et mihi et

(1) Cfr. num. sup.

tibi, sed magis tibi, ne oblitus essem, et super « mensam mercatoriam » haec reliquissem idonea tibi, haec necessaria, sine quibus vivere nequeres! — Ista cantabat « diabathras » lineas ostendens, tela quidem confectas, at multicolori lana pictas acu, frondes floresque simulantes artificio oculis gratissimo. Quid facerem? Placebant; oculis morem gessi, et annui; fortasse et... laudavi! Post haec, singula suo more celebrans, et mihi blandiens more suo canalicola ille, « ansulata ex gossypio, ex lino, ex lana tibialia » exserere; duodecim paria de singulis! duo et septuaginta rerum capita si enumeres!... Excandui, atque indignans, mala verba parabam; sed ille impudentissimus multa me parantem dicere praevertens: — Ne irascaris — aiebat — nam nullius rei oblitus sumus. Viden? Ecce et « soleas urbanas », et « calcios » et « mulleos », ad opportunitatem sunt singula. Quid si venatum interdum adire volueris? « Semiplotia » sunt haec ad rem, si in pratibus, in novalibus, in aperto versari mens fuerit. Quod si placuerint magis obsita aquis palustris, vel montana dumetis obsita perscrutari, ecce, ecce illud calcamentorum genus, quod laudatum ferunt a Caesare praemium addicente homini, qui legionariis caligarum praestitit speciem, qua non modo a pedibus et nives et aquae, sed a tibiis et cruribus arcerentur. « Ocreas » vitulina pelle confectis, quae ad genua usque, « tibialia » addito atque adsuto, crescerent. Qui igitur mulleis quotidie, spe praemiorum oblatis, *isti non valent!* indeprecabilis respondebat; ubi ii allati sunt, laetus exclamavit: Bene esto! *Isti valent!* Unde nomen apud vulgus, et legionarios factum est, quo *stivales* eiusmodi ocreas appellarunt, et in vulgare italicum contulerunt. — Risum continere non potui, praesertim gravitate insolita docentis, qui tam repente e « paenulario et gaussapico, et sagario puero » historiae ad magisterium erectus fas nefasque audacissime personabat. Tum ego: — Et quibusnam ex libris tam peregrinam hausisti doctrinam, in quam ego nunquam? — Non ex libris — ille inquit — sed ex narrationibus abavorum, quae ad nostra usque tempora plura, quae cum libris perire priscorum, transierunt, posteritatisque suae tradiderunt. — Fateborne? Fatear. Iulius Caesar, insignis vir at iniquus, prout Cicero et laudat et arguit, me cum puero illo nequam conciliaverat. Aureus enim ille auctor bellissimae latinitatis delicosus est mihi dum scribit, abominatus dum facit in patriam, quae genuit eum atque aluit ut amplificaretur, aut saltem ut relinqueretur in pace, non ut horrendo paricidio opprimeretur. Plurima autem aut vera, aut proxima veris in plebe romana vagantur, quae maiorum gloriam tradunt, magna fide posteris ac nepotibus ab atavis patribusque narrata. Sed iam illuc revertor unde discessi.

Sexcenta hauriebat iste puer historicus interim e sarcina, et, quoniam me delectari narrationibus suis callidus perspexerat, narrationes mercibus, merces narrationibus inserebat. Mihique ante oculos versabantur pompa longa et agmine perpetuo tot illi artifices, qui ad me vestientium Plautina *Aulularia* e sepulcro excitaverat.

*Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius,
Caupones patagarii, indusiarum,
Flammarii, violarii, carinarii,
Aut manulearii, aut maurobararii,
Propolae linteones, calcularii,
Sedentarii sutores, diabatharii,
Solearii adstant, adstant melocinarii,
Petunt fullones, sarcinatores petunt,
Stropharii petunt, petunt semisonarii.*

Verum dum ille proponit allata, ego allatis nomina componebam modo ab ipsa re, modo *latino fonte*, uti iubet Horatius, *parce detorta*. Quam bene enim diceretur « iuxta-cordium » illa virilis indumenti pars, quam Galli *gilet*, nos *giustacuore*, et *corpetto* appellamus!... Quam recte appellaretur « semisagus », quod nos *giacca* nuncupamus! Habet enim sagi morem potius quam tunicae, at brevius est sago, quum vix renes attingat a tergo, aut ad summum sub stomacho vix inguina cingat. Quis non cito noverit quid indicemus, si « horologii catellam », si « pectoralem aciculam » proferamus? Ecce, « laneos thoraces » hic depromit; quis ignoret hoc nomine designari laneam illam interulam, carnibus a collo ad umbilicum usque haeren-

PER ORBEM

Tulcea, terra ad Danubii fluminis ripas, selectam a fato sese gaudet, quod reginae itemque poetriae lectissimae non fine his diebus aucta sit.

Oppidum enim novissime conditum inter silvas Carmeni-Sylva nomen sibi imposuit, auspicio humanitatis et iucunditatis suavissimum, eiusque incolae dedicatorium civitatis libellum ad suam olim reginam miserunt, ut oblata plane reciperet suoque nomine condecoraret. Quibus humanissime, ut par erat, illa auspicia remisit, omnia bona laeta fausta *Carmonysylvanis* adprecata, quorum domos Danubii caerulea flumina placido cursu alluunt.

Sed flumen hoc remeemus, eiusque Sprea affluens, ut Berolini consistamus, ubi de eligendis legatis qui argentariae mensae praesint res est, ex cuius redditibus aurigis publicorum curruum emeritis stipendiis certa merces solvitur. At hinc moderatores, inde aurigarum plebs contendunt de numero legatorum ex ipsis aurigis qui in praesidium coetu adsidere possint. Officia mediationesque ut pax componatur frustra adhibentur, et ad arma concurrunt. Advelitationes inter tumultuantes et milites forum tantum cui nomen Rosenthaler-Thor pervadunt; sed tamen saxis, virgīs, gladiis, ignitis denique missilibus non parcutur, vulneratique ex utraque parte usque ad centum quinquaginta discedunt.

Tandem vero Hirschner civitatis syndicus ut auctoritatem interponeret rogatus benigne accedit, impetratque ut flexi moderatorum animi operariorum petitionibus satis concedant, quies per urbis vias restituatur, curruisque iterum agi incipiant.

Quod passim dicitur de parva favilla, quam ingens incendium sequitur, Americani lugentes experti sunt, sed ad infortunium latissimum ariditas etiam nimis diuturna vim contulit, qua a multis iam mensibus silvae lucique illic laborant. Transiens per medias densissimasque arbores vaporitrahā favillam forte immisisse in comas videtur, quae repente exarserunt. Inde ex alia in aliam ignis immissus, silvas penitus abrasit atque in cinerem convertit: immanes incendiorum furores in Michigan, in Wisconsin terris ad quinquaginta millia passuum usque flagrarunt, quos inter vaporitrahāe maxima celeritate compulsae, sagittae ad instar, non sine maximo periculo, pertransire contendunt, ut auxilia oppidis atque mapalibus, quae flammae praecingunt, prouti valent, afferant.

Haec itaque ignis absumit, alios vero sepulcri fovearumque aer suffocat. Ruabon apud Valesiam in Anglica terra vehiculum quo in carbonifera fovea descenditur, fractis chordis in puteum precipitans, parietes post se in ruinam concussit. Itaque obruto putei ore, quingenti et amplius effossore qui in fodinam iam descenderant misere conclusi sunt. Iamque ad puteum iterum aperiendum civitas omnis concurrat, at ipse puteus cum ad quingentos et amplius usque passus in terrarum viscera descendat, nisi cito auxilium pervenerit, quae tot sepultos absque cibo et potu sors terribissima manebit?

Liceat in huius itineris limite Germaniam rursus petere ut solemnum illorum quae in honorem regalis principis celebrata sunt postremas voces recolam. Haec itaque mihi relata ipse vobis refero, exemplum alacritatis a Wilhelmo imperatore libenter proponens. Qui quidem die Maii mensis

quarta, summo mane, ut Franciscum Iosephum advenientem exciperet, austriaco praefecti equitum sago indutus apparuit, rubra tunica et femoralibus, alba mastruca aureis nodis exornata, pileo ex phocae villo confecto albaque crista insigni. Paulo post in statione Anhalt Borussiensis praefecti militum vestes ostentavit, ut regalem Italorum principem salutaret. Duabus post horis equitum singularium veste exornatus Eboracensem ducem consobrinum excepit. Decima noctis hora, ut tympanorum receptui adesset, Austro-rum rubris spoliis iterum prodit, media denique post hora ad viam Friderici in statione viridi sago ornatus apparuit, ut Constantinum magnum Russorum ducem debito honore prosequeretur!

VIATOR.

VARIA

Singulare expergisculum.

Expergisculum dicimus additam horologio machinam, qua dormientes, data hora, facto strepitu a somno excitantur. Quum autem fiat ut plerique ita somno obruantur ut ne tonitribus quidem expergiscantur, Casselli in Germania, Catorum olim oppido, novi generis expergisculum patet quibusvis videre volentibus, quod, quantum est, totum cubantis lectulum occupat, totum in sua potestate corpus obtinet dormientis. Nam, ubi hora statuta adventaverit, crepitaculis tintinnabilisque apte dispositis non sonus, non strepitus sed fragor omnino cietur. Si durior recubantis sit somnus, lampas repente coram affulget acerrima luce palpebras excitans. Quae si crassiores nullum luci, aditum patefaciant, ferrea manus nocturnum pileolum rudior abstrahit, mox apponit ignem kaffeariae machinae, cui subest vasculum essentia vini, quam dicimus alcool, praeparatam. Theca autem harmonica, satis valida vocibus choreae, quam *Waltzer* nuncupant, elicit sonos, atque inter haec non sine rumore lamna exurgit hoc exarata verbo «Expergiscere!» Quibus incitamentis perfitor ille somnorum si surdior aspide et saxo perstiterit, lectulus ipse, quasi in socordem iras concipiat, commoveri, subsultare, denique cunctantem adhuc somniculosumque in pavementum deiecit, et ne ad culcitra redeat, ericii more convolvitur.

Rude hoc esse quis neget et rusticum? At si rusticitas mala prohibeat, iuvat illa uti.

*

Melodion.

Hoc ex electride, sed sacrum sibi Musae voluerunt, primaque inventrix, mulier quippe est, Maria Wibston, *meloplanum* dixit. Instrumentum est metallicis chordis constans ad modum illius, quod *piano* et *pianoforte* appellamus, a quo tamen latissime pluribus distat. Primo enim sonitum exserendorum series non ordinatur ut in *organo*, et *arpicordo* et *piano*, scilicet eburneis et ebeneis amussibus digito premendis, ut malleolos excitent, qui chordas percitant, sed ea disponuntur lege, qua videmus distributos globulos in machinis automaticae notas literarum in charta scribentibus. Premente digito, globulus viam pandit exiguo rivulo electridis, quo malleolus excitatur in chordam plus minusve, gravius vel levius prout in mente prementis est. Habetur igitur sonus perpetuus, lenis vel fortis ad libitum, isque suavissimus auditui, et animo blandiens, mollisque ultra credibile. Est aliquid cheli (*violino*) simile, praeter tamen illud nasale, quod cheli

inest, estque tinnitus argentinum reddens, non tamen feriens aures ictu, sed perpetuo mulcens nota suavissima.

Adde nunc manibus non distractis posse pulsari instrumentum, sed brevi spatio voces omnes et soni obtemperant digitis facilius et manibus, quod quidem tempore servando opportunius est.

Atqui viri, qui magistri nunc sunt, discipuli fient, novae methodo victas dabunt manus...

Futura quidem ignoro; sed *Fata viam inveniunt*, et natura vergente, et populo consentiente in suavius, velint nolint, novum instrumentum *melodion*, seu *meloplanum* dicas, duriora ac difficiliora pulsatu facile communi ex usu depellet.

*

Ioci.

Vitia hominum arithmetica mordens.

In illa Italiae regione, quae ad Austrum pertinet, avari cuiusdam demortui tumulo appositum dicitur esse marmor his verbis brevi laudatione conscriptum.

IACET HIC
ALOYSIUS ARCIGNUS
QUI NIHIL EGIT QUOAD VIXIT
PRAETER
ADDERE ET MULTIPLICARE
PECUNIAM
SUBTRAXIT NUNQUAM
DIVISERUNT HAEREDES

P. d. V.

EPISTOLARUM COMMERCIIUM

Cl. v. D. MAC... - Lairg. - Loca pulcritudine quidem insignia sub oculis nobis posuisti; quorum, si scripseris, imagines in *Voca Urbis* praebemus.

Cl. v. B. I. ATHAN... - Jassy. - Quae misisti in commentario edere inopportuno censemus.

Cl. v. ITALICO. - Carmen certamini propositum Horatiani tantum sermonis genus redoleat oportet.

Cl. v. V. HERT... - Mendhausen. - Age, de illo libro notitiam lectoribus dona.

Cl. v. DEL... - Pousset. - Credas? Ad te epistolam quam spondi pluries scribere aggressus sum; sed hac vel illa cura distentus infectam rem dimisi. Ne longius morer, eorum quae apud nos ante hunc annum tractata sunt indices ad te mitto, ex quibus ipse quaesitam notitiam haurire poteris. Quod si quis commentarii numerus tibi ad perficiendum opus succurrere queat, scribe, et statim diribitorio commitemus. Interim non dubitamus quin hac re gratia quam tot argumentis erga nos demonstrasti infirmetur.

Cl. v. L. P. MICR... - Roterodami. - Parce administratoris scribae, qui *sibi praesens non adorat*: in pactione enim tecum inita manemus.

Cl. v. BERN. BR. - Waterlemey. - Non aedis Martis, idest tituli Equitii, vel ecclesiae S. Martini ad Montes; sed basilicae quondam Apostolorum, deinde Eudoxianae, vulgo S. Petri in vinculis, kalendis Augusti dedicatio celebratur. Ceterum de Romanis ecclesiis late deseruit M. Armellini, ex cuius libro plurimas notitias depromere tibi licebit. Norisii dissertationes perrarae factae sunt neque, praeterquam data occasione, apud antiquarios bibliopolas inveniuntur.

A SECRETIS.

Desclée, Lefebvre & Soc.
LIBRERIA CATTOLICA INTERNAZIONALE
ROMAE - Via S. Chiara, 20-21 - ROMAE

LE CERIMONIE
DELLA
BEATIFICAZIONE
E DELLA
CANONIZZAZIONE

Venit Lib. 0.50.

Idem gallica lingua, venit Lib. 0.50.

Nuperrime prodierunt ©

CONSTITUTIONES LEONIS XIII
SUPER
IUBILAEO UNIVERSALI ANNI MDCCGC

COLLECTA EDIDIT, QUIBUSDAM ADNOTATIONIBUS ADDITIS
IN COMMODUM PRAESERTIM CONFESSARIORUM

THOMAS ARIZZOLI

Missionarius Apostolicus Imperiali, S. Poenitentiarie officialis.

Ven. lib. 1

apud commentarii VOX URBIS Administratorem.

Pro sociis comm. Vox Urbis Lib. 0.50

T. G. Fratrum PARISI
CANDELARUM AD SACRA OPIFIICIUM
PRAEMIIS INSIGNE

AB ANNO 1829 CONSTITUTUM

Romae in Italia, in Foro Campi Martii, 6

Singulis in artium
recognitionibus publi-
ce habitis maxima re-
lata munera.

LEO PP. XIII
honores addidit

Lateranensi Archi-
basilicae, itemque Va-
ticanae, quoties de Bea-
tificatione aut de Cano-
nizatione solemne sit,
suppeditat.



Praecipua Templa
cereis instruit ubique
terrarum. In Asiam,
Africam et urbem Con-
stantinopolim mittit
ingentia rerum huius-
modi pondera, pretio
francs 180 pro singulis
100 Chilogramm.

Si vero ab America
aut ab Australia petan-
tur onera (300 Chilo-
gramm. ad minimum),
pretium erit francs 225
pro 100 Chilogramm.

Nulla impendio iubentium


res in proximiorum a petentibus designatum portum defertur

Gratis pariter, quae mittuntur, arca asservantur

Cuius quaerenti explicatio erit uberior.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS
nuperrime edidit



❖ ❖ Mnemosynon
Iubilaei Magni ❖

DIRIBITORIAE CHARTULAE INSTAR

AD FIDEM EXPRESSUM REFERENTIS

Solemne aperitionis Portae Sanctae

a Leone PP. XIII

die XXIV mens. Decembris MDCCGC peractae.

Pretium singulorum centum ante solvendum commentarii Vox URBIS admini-
stratori - Romae, via Alessandrina, 87 - est Lib. 3.50.

Nulla impendio ad iubentis domicilium chartulae ipsae mittuntur